

1784 13

[13.]

IN DIVI
HENRICI TERTII
 GALLIAE,
 AC POLONIAE REGIS
 CHRISTIANISSIMI,
 AC FELICISSIMI,

Ad urbem Venetam aduentum,

BERNARDINVS PARTHENIVS
 SPILIMBERGIUS.



Venetijs, ex Typographia Guerraa. M D LXXIIII.



IN DIVI HENRICI
TERTII GALLIAE,
AC POLONIAE REGIS
CHRISTIANISSIMI,
AC FELICISSIMI,

Ad urbem Venetam aduentum,

BERNARDINVS PARTHENIVS
SPILIMBERGIVS.



*VAE Reges solita es, Regumq; ex-
tollere facta,
Bellaq; nunc terra passim consecuta,
mariq;,
Magna parans, properas seclis man-
dare futuris,*

*Quae stupeat praesens aetas, stupeantq; Nepotes,
Aonij Dux Musa chori, cui carmina cordi,
Quam cythara, gelidisq; iuuat Heliconis in Umbris,
Et mulcere feras cantu, Zephyrosq; morari,
Nunc alio liceat paulum descedere, nervis
Nunc alijs opus est. Adsis, & carmina nunquam*

A 2 Pierijs

Pierijs audita iugis, aut Phocydís antris,
Mecum, quà medijs tollit se fluctibus auream,
Urbs dilecta Ioui, Adriaci Regina profundi,
Cui circum Bellona fremit. Victoria palmas
Mille parat. cui Relligio, cui fasq; , piúm;,
Excubat, Imperiumq; aterna in secula fulcit.
Dic Dea, quæ ad superos referant sublima venti.
Aspicias ut letis complerint omnia catus,
Ut volitent piæti circum maria alta phaselli,
Utq; coronatæ stent puppes, ardeat ostro
Bucentaurus, ut excipiat, quos nulla priorum
Secla tulere viros, nec postera proferet ætas;
Utq; vehat Regem, quo non præstantior alter
Consilio, belloq; ; Unum quem maxima Regem,
Regna petunt, repetuntq; suum. quem mæsta abeuntem
Sarmatia illachrymans sequitur, dominumq; requirit,
Accipit optatum votis at Gallia ouantem,
Gallia Terrarum pulcherrima, fœtaq; regnis.
Tale decus Colchos Magnesia vexerat Argo?
Salve vera Deum proles, lux missa tenebris;
Ut te excipimus, te te ut veneramur, ut omnes
In te unum cupide desigunt lumina, vultum
Miranturq; tuum, quo tanquam è sidere puro
Scintillant veterum radij virtutis Auorum.
Mæste animo, & duplici fulgens Diademate, Regum
Maxime, quæ festa reddunt tibi luce per Urbem
Purpurei, veneranda cohors, cum Principe patres
Accipe, lætitiámq; urbis Pæana canentis.

Non

Non tanto populi rerum pulcherrima plausu
Terrarum dominos celsa ad Capitolia Roma
Excipiens duxit. Pueri, mixtaeq; Puella,
Leta canunt; resonant fremitu, & clamore secundo
Cuncta. vias alij consternunt floribus. illi
Narcissumq; , atque comas late spirantis Amomi
Spargunt, ast alij vernantia lilia tollunt,
Lilia, quae nulla boreae, nec turbinis vlla
Vi concussa comas demittunt. Sed mage in auras
Surgunt, & medio fulgent sublimia caelo,
Gnosia quis rutila decedit stella corone.
Nulla dies unquam illuxit iocundior urbi.
Non unquam tales accendit Lucifer ignes.
Insolita capti ludunt dulcedine in undis
Tritonis, Glauciq; cohors, & squammea Diuum
Turba choros agitant, Phorciq; exercitus omnis,
Adriaciq; tibi subsultant aequora Ponti.
At mihi dum Herois tanta inter gaudia nomen
Concelebro, meritum Muse concedite carmen,
Secula quod nulla obscurent, nec deleat aetas
Vlla virum. Interea presentem tollite Regem
Laudibus, & supra fortunam rite locatum,
Vi numen terris illapsum, munere diuum,
Et voce, atque animis ultro veneremur amicis.
Hunc quamuis properantem, & Gallica Regna petentem,
Magne virum. **DIOCENICE**, diu, fortissime Princeps,
Hunc retine, retinete Patres, quos aurea passim
Iustitia, & pudor, & nunquam culpata reuisti.

Astraea,

Astraea, & gressus comitatur passibus æquis.
Verum ibis tandem ditis spes unica Regni.
Nos te coniunctis animis, votisq; sequemur.
Te manet armipotens Tellus uberrima glebis,
Magna virum, felix auro, populoq; potenti.
Hic tibi mille parant palmas, gemmisq; coronas
Splendentes, viridiq; smaragdo, & iaspide fulva.
Addent solennes optato tempore ludos,
Quos repetat labens annis redeuntibus ævum.
Munera leta feret pubes. tibi carmina vates
Bella canent, tollentq; tuum sub sidera nomen.
Attollent supra Gangem, Nilumq; superbum,
Supra Indum, Tigrimq; caput spumantibus undis;
Tempora non glauca canentia arundine fulti,
Victrici at lauro, atque oleæ frondentis honore,
Sequanaq; Rhodanusq; ruens per pingua culta.
Hic tibi victrices ponet victoria palmas,
Mille Arcus tibi constituet. quibus aurea sceptrâ,
Sydonio ex ostro mitra, sacriq; Thyaræ,
Ensesq;, clypeiq; graues, thoraces aheni
Pendent, spolia, & direpta ex hoste trophæa,
Captæ urbes, & parta diu victricibus armis
Regna procul. Iarnacum addent, & grandia facta,
Quæ Moncunturni suspirant Mœnia fessi.
Adiungent suas fulgentes ære cohortes
Marte tuo, late cum campi cæde maderent
Sanguinea, vires cum fractæ, auersa Deorum
Cum mens, direptis castris, ducibusq; subactis,

Purpu-

Purpurea exundans taboq; , sacroq; cruore
Cum sonitu vastum properat Clarentia in aquor.
Præterea stabunt vultus longo ordine patrum,
Atque auro simulachra modis splendentia miris,
Demissum cælo genus . hic spectare PHILIPPVM,
FRANCISCVMD. HENRICVD. senes, tria lumina Gentis
Valesiæ, atque orbis, tum alios, aliosq; licebit.
Hic Pax, hic tranquilla colent passim ocia Musa.
Dulcia per Terras succrescent secla beatas.
Non ulle insidiæ, dediscant iurgia Lingue.
Non enses, non bella, nec ullo milite Campi
Undabunt, nulli tepescent sanguine riuu.
Non duris videas procudi incudibus arma.
Incuruis rigidos mutabunt falcibus enses.
Succedent tauri, validus succedet arator.
Adiungent socias sæcundis vitibus vltimos,
Lætâq; mollitis committent ordea sulcis.
Post tot infandas clades, post funera, cædet,
Et veniam culpæ poscet Mars impius . unum
Spectabunt, unumq; colent, unumq; potentem
Imperij, rerumq; volent, tibi colla superba
Submittent . victasq; manus, vincetosq; lacertos,
Regali Victor tandem regnabis in Aula.
At tu, cui alitibus ridet Fortuna secundis,
Cui Terræ parent, cælum cui militat altum,
Candida cui voluunt felices sydera cursus,
Concordes ducunt cui grandia fila sorores,
Spes hominum, Regni ingentis decus, & Terrarum,
Quic-

Quicquid diues aquis complectitur Amphitrite,
Diuūmq; atq; hominū studijs, atq; Auspice CHRISTO
Cuius sacra colis miro succensus amore
Imprimis, Patrias remeabis victor ad oras,
Cura Deūm, custosq; virūm. At te protinus alma
Te super aërias Alpes, super ardua ducens
Saxa, super scopulos, & acuto pumice cautes.
Incolumem, ac tutum reddet fatalibus Aruis
Purpureis suffulta alis Rhamnusia virgo.
Accurrent Dryadumq; chori, nemorumq; puella,
Substernent pedibus flores, & halantia ferta.
Dona ferent, quæ cuique aliis euellere Syluis
Continget, Baccasq; atque aspris mora rubetis,
Cumq; suis ramis pallentis munera oliuæ;
Aequæ sinu tepido selecta ex Arbore Poma
Rapta manu prominent, & virgatis calathiscis,
Effundent. Ibis, desideriumq; relinques
Dulce tui, Rex magne, Heros mitissime, cunctis.
Interea ipse animo letus maiora parabo,
Aeternumq; decus meditans, quæ vergit ad ima
Terrarum, gelidas quæ se sol tollit ad Arclos,
Brachia trans Cancris ardentis, trans nubila; transq;
Dura feram algentis Capricorni frigora Regem
Assuetum Imperijs Regem; assuetumq; triumphis.

FINIS I. N. I. S.